Fragmentarium



Adhuc modicum lumen in uobis est. Ambulate dum lucem habetis: ut non tenebre uos comprehendant. Et qui ambulat in tenebris: nescit quo uadat. Dum lucem habetis credite in lucem: ut filii lucis sitis. Hec locutus est ihesus et abiit et abscondit se ab eis. Off.

Eripe me de inimicis meis domine ad te confugi doce me facere uoluntatem tuam quia deus meus es tu. Secreta

Hec sacrificia nos omnipotens deus potenti uirtute mundatos. ad suum faciant puriores uenire principium. Per. Co.

Erubescant et reuereantur simul qui gratulantur malis meis induantur pudore et reuerentia qui maligna loquuntur aduersum me. Post co.

Prebeant nobis domine diuinum tua sancta feruorem. quo eorum pariter et actu delectemur: et fructu. Per.

Adiuua nos deus sup. plin.

Salutaris noster et ad beneficia recolenda quibus nos instaurare dignatus es. tribue uenire gaudentes. Per. Fer. iii.

Nos autem gloriari oportet in cruce domini nostri iesu cristi in quo est salus uita et resurrectio nostra per quem saluati et liberati sumus. Deus misereatur nostri et b.

Omnipotens semper deus da nobis. Or.

Ita dominice passionis sacramenta peragere. ut indulgentiam percipere mereamur. Per eundem.

In diebus illis. L. ieremie prophe.

Dixit ieremias. Domine demonstrasti michi. et cognoui. tunc ostendisti michi studia eorum. Et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad uictimam. et non cognoui quia cogitauerunt super me consilia dicentes. Mittamus lignum in panem eius. et eradamus eum de terra uiuentium. et nomen eius non memoretur amplius. Tu autem domine sabaoth qui iudicas iuste. et probas renes et corda. uideam ultionem ex eis. Tibi enim reuelaui causam meam. domine deus meus.

License: public_domain – Paris, Bibliothèque nationale de France, NAL 2444, 33r – Missale
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-pq4i/3644/37861)